

ECCLESIA MALACITANA

ILmo. D. ILDEPHONSO CANNEDO,

EPISCOPO SUO DESIGNATO.

Ego dilecto meo, et ad me conversio ejus.

Cant. 7.

ILDEPHONSE, veni: dudum sapientia mater
Te vocat in sponsæ amplexus: tibi pronuba castos
Jam sternit thalamos, sacrato foedere Christus
Quos probat. Ille meam, dilecto jam tibi, puram
Et servare fidem jussit, moresque vetustos
Incestos nunquam fatis, belloque nefando.
Quinque viri excubias (monadem quos fecit amoris
Foedus) noctis agunt. Primus statione *Palancus*
Rerum usu pollens, lautas cui condere sacra
Divitias licuit doctrinæ, et verba quirerum.
Excultus surgit prisco *Wadingus* honore,
Concinnus, pulchrique tenax, cui magna sepellex
De patrum collecta penu, producta vicissim.
Officio compar dicit jus, fasque *Molina*
Et charus populis, patrui et virtutibus auctus

Omnibus ornatus doctrinae tempora lauris.
Eloquio superis par, semper magna *Benitus*
Et tonat, et reficit constans, cum oracula Divum,
Divinas et pandit opes, atque ore rotundo
Numinis arcana eructat, quae pectore casto
Edit concepta, et doctrinam flumine sacram
Verborum exornat, quam fundit divite lingua.
Nec te, docte, meis votis, *Ximene*, silebo,
Ingenio clarus, vigili studioque probatus,
Impiger officio, revocat quem nullus euntem:
Elliberi hic venit, de sacro ad grandia Monte
Descendens, quo aetas firmatur mollis, et alma
Labitur excultae nutrix sapientia menti.
Sustinet, atque operas ad tanta negotia solus
Praestat, digestos canones *Corralius* ore
Ructans, Antistes juris, virtutis amicus.
O coelo dignas animas, quibus ardua virtus
Fecit apostolicis turritos cingere muros
Stativis, vafro et bellum indixisse sophistae!
Chrismate tu populos firmabis, maxime Pastor,
Sollicitat quos alma fides, et cura salutis,
Quique patris referunt mores, et munere degunt.
Ibis (crede mihi) fletu tua semina mittens,
Ex nostro congesta penu, quaque horrea condunt
Ventilabro purgata meo, cum farre venenum
Secerno, et lecto tritico recrementa maligna:
Ast venies latus, portans cum pace manipulos,
Quos nostro fidi curabunt rure coloni,

Divinæ segetis vita, et sermone ministri.
Tu superintendes specula, et nutantia corda
Erecta in virtutem ibunt, sedesque beatas,
Depulsis animo morbis, et tabe recenti.
Pauper mensa tibi (scimus) vilisque supellex
Est in amore: vetus constat sententia, quondam
Quam poeni sanxere patres: tu magna professus,
Aurea christiadum renovabis tempora. Tandem,
ILDEPHONSE, veni: tædas accende jugales;
Lucernamque tuo reparabis, Episcopo, Christo.

Malacitanæ Ecclesiæ sacerdoti magno hoc ex tem-
pore inscripsit nuptiale carmen. *Minimus sacerdos*

F. N. et A.

MÁLACÆ MDCCCXIV.

TYPIS FRANCISCI MARTINEZ DE AGUILAR,

*Capituli Stæ. Ecclesiæ Malacitanæ, sede episcopali vacante,
typographi.*